DE
PRISTINIS MONTBELGARDENSIS EVANGELICÆ ECCLESIÆ
LITURGIIS

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die 19 mensis decembris, A. D. 1895, hora a. m. IX

PUBLICE DEFENDET

John VIÉNOT

AUDINCOURT

TYPIS CAROLI JACOT ET SODALIUM

1895

DE

PRISTINIS MONTBELGARDENSIS EVANGELICÆ ECCLESIÆ

LITURGIIS

DISSERTATIO HISTORICA

QUAM DEO BENE VERTENTE

IN FACULTATE THEOLOGIÆ EVANGELICÆ ACADEMIÆ PARISIENSIS

PRO LICENTIA DOCENDI

Die 19 mensis decembris, A. D. 1895, hora a. m. IX

PUBLICE DEFENDET

John VIÉNOT

AUDINCOURT
TYPIS CAROLI JACOT ET SODALIUM

1895

Præside V. S. V. E. Vaucher.

Solemne exercitamentum moderabuntur triumviri doctissimi

E. Vaucher,

A. Sabatier,

E. Stapfer.

SS. Theologiæ DD. et PP. PP. OO.

AMICISSIMIS SUIS

eidem Verbi Divini ministerio inservientibus :

J. JEANMAIRE, P. POINCENOT,

G. DONZÉ, G. JAULMES, E. VURPILLOT.

ex animo dedicat

J. V.

PROŒMIUM

Mihi propositum est de pristinis liturgiis agere quibus Montbelgardenses Ecclesiæ Reformationis temporibus usæ sunt.

Quum hac de re scribere institui, non tantum discendi studio et voluptati parui, sed vi et quadam intima necessitate coactum me fateor.

Etenim ubique nunc de emendandis liturgiis agitur.

Ad illam rem Ecclesia Reformata curam prius adhibuit quam Ecclesia Lutherana Gallicana, cujus liturgiam viri rerum ecclesiasticarum studiosi diversis locis ita reformandam esse arbitrantur ut novis desideriis respondeat : quæ quidem res difficillima est et multæ cautionis.

His in rebus aliud est mutare, aliud emendare. Si enim liturgiam penitus mutaveris, id periculi est ne aut disciplinas theologicas labefeceris, quibus nititur Ecclesia cujus fidem liturgia exprimit, aut de integro eadem facias quæ jam antea frustra tentata sunt.

Optime enim præceptor noster E. Vaucher : *Pour comprendre la pratique présente de l'Église, pour la corriger, s'il y a lieu, il faut étudier dans l'histoire la formation de cette pratique et soumettre à l'examen de la critique les produits de cette lente évolution* (1).

Necesse est igitur ut omnes qui liturgiam corrigere conantur in studiis historicis accurate versentur.

Quod probe quidem ab illo viro, nobis etiam nunc deflendo, intellectum est qui apud nos in liturgiis reformandis maxima valebat auctoritate, scilicet Eug. Bersier, cujus liturgia curis indefessis de antiquitate christiana et de historia Ecclesiæ Reformatæ Gallicanæ, velut fundamentis, innititur.

(1) Vide E. Vaucher, *De la théologie pratique*. Paris, 1893, pag. 101.

Qui ante eum liturgiam reformandam esse censebant, iidem jam sentiebant revertendum esse ad ea consilia quæ ex præterito veniunt. Hoc idem fecerunt apud Reformatos qui post illum operi incepto persequendo studuerunt.

Quum Ecclesia Reformata jam cœperit cultus sui historiæ studere, non ita se res habet in ecclesia Lutherana Gallicana.

Nemo enim in animum induxit exquirere quomodo cultus divinus in Montbelgardensibus ecclesiis Reformationis temporibus constitutus fuerit, nec quisquam quæsiit quibus ex fontibus nostra præsens liturgia orta sit.

Hoc equidem opus quod oportet suscipere ad emendationem liturgiæ feliciter agendam, mihi proposui.

Hi sunt fontes ex quibus materiam dissertationis hujus hausi.

Tabularium illud ditissimum quod vocant Archivum nationale, publica tabularia Vesuntionis, Vesulii, Bibliotheca publica urbis Montbelgardi nobis præbuerunt et pretiosa documenta quæ nondum edita sunt et rarissimos aliquot libros quos in exponendo laudavimus. Præterea sequentibus libris et dissertationibus cum fructu usi sumus :

M. Adam, *Vitæ Germanorum theologorum*. Francofurti, 1653.

P.-E. Berger, *Quelques idées de philosophie et d'histoire sur le culte public chrétien, suivies d'un essai de Révision des Liturgies réformées*. Strasbourg, 1857.

Eug. Bersier, *Projet de révision de la Liturgie des Églises réformées de France*. Paris, 1888.

J. Bianquis, *Projet de révision de la Liturgie des Églises réformées de France*. Paris, 1893.

J. Bisseux, *Quelques réflexions sur le culte public réformé*. Strasbourg, 1853.

Th. Bost, *Quelques idées sur le culte protestant*. Strasbourg, 1853.

G.-F. Bourquin, *Vie de Guillaume Farel*. Montauban, 1860.

F. Buisson, *S. Castellion*. 2 vol., Paris, 1892.

A. Castan, *Granvelle et le petit empereur de Besançon* (1518-1538). *Revue historique*, janvier-mars 1876.

A. Chenot, *Notice historique sur l'introduction de la réforme religieuse dans les trois Seigneuries d'Héricourt, de Clémont et du Châtelot*. Montbéliard, 1883.

E. Doumergue, *Essai sur l'histoire du culte réformé*. Paris, 1890.

A. Doy, *Les Liturgies de la Sainte-Cène dans les Églises réformées de langue française*. Paris, 1891.

Ch. Duvernoy, *Ephémérides du Comté de Montbéliard*. Besançon, 1832.

L.-M. Fischlin, *Memoria theologorum wirtembergensium ressuscitata*. Ulmæ, 1710.

P.-C.-S. Gad, *De luthero principiorum rei liturgicæ æstimatore et arbitro*. Hafniæ, 1840.

S.-F. Gehre, *Weils der Stadt kleine Chronik*. Stuttgart, 1808.

Louis-Frédéric Goguel, *Thèse d'histoire ecclésiastique sur l'introduction de la Réforme dans le ci-devant pays de Montbéliard*. Strasbourg, 1825.

G. Goguel, *Précis historique de la Réformation et des Églises protestantes dans l'ancien comté de Montbéliard*. Paris, 1841.

G. Goguel, *Histoire de Guillaume Farel*. Montbéliard, 1873.

J. Hartmann, *Ehrard Schnepff*. Tübingen, 1870.

Herminjard, *Correspondance des Réformateurs,* tomes I-VIII.

L.-F. Heyd, *Ulrich, Herzog zu Württemberg*. Tubingen, 1841.

L.-F. Heyd, *Der wirtembergische Canzler Ambrosius Volland*. Stuttgard, 1828.

H. Jacoby, *Die Liturgik der Reformatoren. Erster Band. Liturgik Luthers*. Gotha, 1871.

J.-E. Joubert, *Considérations générales sur les principaux éléments du culte réformé*. Toulouse, 1865.

Keim, *Ambrosius Blarer.* Stuttgart, 1860.

P.-E. Lang, *La Réforme au pays de Montbéliard.* Montauban, 1873.

J.-F. Le Bret, *De originibus et vicissitudinibus ecclesiæ wirtembergicæ.* Tubingæ, 1790-1792.

F. Mabille, *Histoire succincte de la Réforme au Pays de Montbéliard.* Genève, 1873.

P.-F. Mégnin, *Biographie de Pierre Toussain, premier Surintendant des Églises de l'ancien Comté de Montbéliard.* Strasbourg, 1861.

C.-M. Pfaff, *Acta et scripta ecclesiæ wirtembergicæ.* Tubingæ, 1720.

C. Pfaff, *Geschichte des Fürstenhauses und Landes Wirtemberg,* tom. III. Stuttgart, 1839.

E.-L. Richter, *Die evangel.-Kirchenordnungen des XVI. Jahrhunderts.* Weimar, 1846.

Sattler, *Geschichte des Herzogthums Wirtemberg unter der Regierung der Herzogen.* Tübingen, 1769.

C.-F. Schnurrer, *Erlæuterungen der Würtembergischen Kirchen-Reformations.* Tübingen, 1798.

Würtembergische Kirchengeschichte. Calw und Stuttgart, 1893.

C.-G. Zahn, *Versuch einer Reformationsgeschichte des Herzogthums Würtemberg.* Tübingen, 1791.

CAPUT PRIMUM

INTRODUCTIO HISTORICA

Montbelgardensium ecclesiarum Reformationis initia

Primi comites qui Montbelgardensem agrum rexerunt, imperium ducum Burgundicorum agnoscebant. Die 15 nov. 1397, Henrietta, quæ post patris obitum comitatum Montbelgardensem obtinuerat, comiti Wirtembergico Eberhardo V desponsa fuit; quo matrimonio paulo post consummato, Comitatus ad Wirtembergensem domum transiit et usque ad annum 1793 in ejus dominatione permansit.

Primus illustris illius familiæ princeps qui sacrorum Reformationi favit, fuit Ulricus.

Permultum inter se discrepant quæ de Ulrici indole a variis scriptoribus prædicantur. Belluam quidem fuisse Ulricum in figura hominis existimabis, si Pontificiorum scriptoribus volueris credere, qui, de Ulrico commemorando, in pejus omnia augere videntur.

Patre orbatus, a pueritia disciplinæ nescio cujus Johannis Wetteri traditus, quo duce latinæ linguæ quatuor quotidie horas, reliquum vero tempus otio ac ludis dabat, neque arte regnandi, neque gallica lingua, neque bonis artibus institutus, natura non arte magistra usus, Ulricus adolevit rudis, incultus, in iram præceps, sed mira vi ingenii, miro judicii vigore eximiaque animi firmitate præditus.

Variis fortunis excitatus et vexatus, in toro infelix, pristinas amicorum spes plebisque vehementem amorem in odium singulare mox mutavit.

Sabinam Bavaricam secum matrimonio conjunxerat : parum felix matrimonium fuga Sabinæ brevi ruptum.

Præterea Ulricus, injuriæ ulciscendæ studiosissimus, amicissimum sibi Johannem Huttenensem, quum simul venarentur, propria manu occidit; quibus causis et Sabinæ Bavaricæ fratrum et Johannis Huttenensis parentum inimicitias Ulricus suscepit.

Ex altera parte, Ulricum historiarum scriptores pium fuisse dicunt et bona fide nec unquam fraudulenter egisse, mutato denique ingenio, in pietate fervidum et Evangelii studiosissimum exstitisse.

Quod quocumque modo se habeat, Ulricus noster a fœdere Suevico, e ducatu suo wirtembergensi anno 1519 pulsus, Helvetiam petiit. Illic præcipuos illius regionis Reformatores cognovit et amavit, Tiguri quidem Zwinglium qui primo aspectu ab eo vehementer abhorruit; Basileæ vero Œcolampadium quocum veram amicitiam connexuit.

Quum igitur Ulricus, Reformationis studiosus, in comitatu Montbelgardensi quem solum retinuerat veluti exularet, Guillielmus Farellus (1), Basileâ ab episcopo exactus quemque vocaverat populus noster, hortante Œcolampadio, circa medium annum 1524 Montbelgardum venit.

Per idem fere tempus Joh. Gaylingius, qui propter Evangelii prædicationem e ducatu wirtembergensi expulsus erat, ad Ulricum principem confugit, cujus aulicus præco factus est (2).

Farellus præsertim totum studium suum adjuvante quidem Gaylingio, in repurgandis sacris collocavit. Duumviri illi conjunctim Reformationem ecclesiæ prædicaverunt, imaginum superstitiosum cultum pravamque indulgentiarum nundinationem vehementer et aperte agressi sunt.

Eodem anno 1525 Basileensis Reformator Œcolampadius ad Montbelgardenses novum reformationis artificem Bonifacium Wol-

(1) Cf. Ancillon, *Vie de Farel;* Choupart, *Histoire de Guillaume Farel;* Bayle, *Dict. hist. et crit.*, art. *Farel;* Ruchat, *Histoire de la Réformation de la Suisse*, tom. I; Sennebier, *Histoire littéraire de Genève*, tom. I, pag. 139 et 199.

(2) Cf. Fischlin, *Memoria Theologorum wirtembergensium.* Gaylingium in Montbelgardensi comitatu resedisse ignorat Fischlinus omnino. Vide etiam : Bossert, *Luther u. Württemberg; Würtembergische Kirchengeschichte*, passim.

fardtum misit, qui sacras orationes, quum gallicam linguam nesciret, germanico sermone habebat.

Non vero id latere diu poterat Bisuntinum Archiepiscopum, qui primum Ulrico comiti Montbelgardensibusque civibus majorem excommunicationem minatur. Stant autem animis et Ulricus et Evangelii præcones. At Helvetiorum pagi qui eo ipsissimo tempore Ulrici ducis partes susceperant, quum fidem catholicam profiterentur, cito a Bisuntinis Pontificiis impulsi, ab Ulrico duce Evangelii præconum expulsionem petierunt. Qua in re amicis suis et fautoribus denique cessit Ulricus. Gaylingius et Wolfardtus e Montbelgardensibus ditionibus excedere coacti, prior Heidelbergam alter Argentoratum petierunt, postquam quinque per menses in civitate nostra constiterant.

Sequente anno, Helveticis Pontificiis de novo minitantibus, invitus et Farellum dimisit postquam sacrorum reformationem totum prope per annum prædicaverat. Neque tamen a Farello, neque a Gaylingio, neque a Wolfardto ullam quamque ecclesiasticam ordinationem institutam esse constat. Illi sane primi sunt qui apud nos in arenam evangelicam descenderint, sed primus Montbelgardensium ecclesiarum verus reformator exstitit Tossanus.

CAPUT SECUNDUM

DE TOSSANO REFORMATORE ET ILLIUS LITURGIA

Mihi quidem non est in animo historiam Evangelii renascentis apud patres nostros totam in his pagellis referre. Hoc opus faciendum fortasse aliquando suscipiam. In præsenti vero de pristinis ecclesiarum nostrarum ordinationibus cultusque divini inprimis dispositione inquirere studeo.

Qualis fuerit, quid de cultu senserit Reformator noster, quæ fuerit pristina cærimoniarum ordinatio cujusque Reformatoris, utrum Lutheri an Zwinglii an etiam Calvini mens in instaurandis sacris apud nos tandem prævaluerit, nunc accuratissime indagabimus.

Ea de controversia ita disserit Fischlinus (1) in capitulo : de Reformatione Montispeligardi : « In hoc comitatu seu principatu, nec non in ditione Richovillanâ in Alsatiâ reformationem an. 1535 pariter orsus est Georgíus ducis Ulrici frater... Factam esse illam reformationem ex Hospiniano Abrah. Scultetus ait ad Helveticæ confessionis normam. Sed non tam facile merentur Hospiniani et Sculteti asserta... Ut vero fidem Hospiniano derogemus, etiam in hoc passu, argumenta quæ nos movent, non sunt nulla. Primo namque Petrus Tossanus Metensis primus Mompelgardi pastor fuit, uti Hospinianus ipse testatur. Atqui Tossanus ille Augustæ Confessionis socium se constantissime, licet falso, professus est, atque Cinglianum dogma de Eucharistia non nisi clanculum sparsit, prout ex sequentibus epistolis Brentii ad Angelandrum et Snepfium elucescit. Quod si ad Helveticæ Confessionis formam facta esset Mon-

(1) Memoria theologorum, pars II, pag. 27.

tispelgartensis reformatio, non opus habuisset Tossanus ad Aug. Confessionem provocare, vel Cinglianismum suum occultare, quem vi Confessionis Helveticæ publice et aperte licuisset docere. Deinde dux Christophorus a patre Montispeligardum missus anno 1541 ut ibi sedem haberet, Augustæ Confessionis Præconem aulicum adduxit, Johannem Angelandrum (germ. Engelmann), qui aliquot annos juxta Tossanum docuit, tametsi non sine controversiâ; jam vero diversas confessiones e diametro pugnantes publice receptas fuisse, ne speciem quidem veri habet ».

Errat autem omnino Fischlinus. Tossanus enim primus Montbelgardensis pastor et ecclesiarum Superintendens ecclesias nostras reformavit et ordinavit, sicut ait Hospinianus, ad normam Helveticam.

Antequam vero eâ de re dicamus anteriora Tossani fata nobis repetenda sunt.

Tossanus anno 1496 in vico Sancti Laurentii in finibus Lotharingiæ non longe a Metis natus est. Studiis vacavit Coloniæ, Lutetiæ et Romæ. Lutetiæ quidem Budæum adierat Fabrique Stapulensis familiaritate utebatur; in aulam Margaritæ Navarrenæ receptus, sicut Calvinus totque pii gravesque juvenes, jam illis temporibus Reformationi favebat. Primum quidem Reformationem ecclesiæ ab ecclesia sperabat canonicusque metensis ecclesiæ factus est. Postea, beneficio suo transcripto, Basileam petiit ubi apud Œcolampadium hospitem habitavit.

Fere omnes qui de Tossano scripserunt aiunt Reformatorem nostrum, quum Basileam incoleret, a Georgio comite Montbelgardensi vocatum fuisse (1). Attamen omnes in errore versantur. Anno enim 1535, quum Tossanus, suadentibus amicis, Basileam reliquisset, Blabyram (Blaubeuren) in finibus wirtembergicis petierat. Hoc enim tempore dux Ulricus quum omnes ditiones suas recuperavisset, reformationem wirtembergensium monasteriorum susceperat et, in tam difficili negotio prudenter et sapienter agens, e diversis locis pios, graves doctosque viros acciverat. Non tamen

(1) Vide : Melch. Adam, *Vit. german. theolog.* pag. 700. Haag, *France protestante,* art. Toussain. Tuefferd, *Histoire des comtes de Montbéliard.*

L'Ordre

qu'on tient en l'
Egliſe de Mont-
beliard, en inſtruiſ-
ſent les enfans, &
adminiſtrant les
ſaincts Sacremens,
auec la forme du
Mariage, & des
Prieres.

1559

Epheſiens iiii.

Il y a un Seigneur, une foy, un bapteſme, un Dieu & pere de tous, qui eſt ſur toutes choſes, & par toutes choſes.



Imprimé à Basle, par
Iaque Eſtauge.

sc. Lyon.

sine magno labore ejusmodi viri reperiebantur. Quum piissimis doctissimisque viris Blarero et Grynæo negotium reformationis commisisset Ulricus, Grynæus cujus cum Tossano arctissima erat conjunctio a Basileâ amicum suum Tossanum accersivit, qui vero non diu in Blabyrensi monasterio commoratus est. Quum enim eodem anno 1535 Ulrico duci opus esset viro pio, sapiente et prudente, qui Montbelgardensis comitatus ecclesias reformaret, Tossanus, suadentibus Blarero et Grynæo, a principe electus extremo anno 1535 Montbelgardum advenit.

Vir optimus et eximia pietate præditus, divinæ gloriæ et reformationis studio incensus, sibi plus quam aliis durior, in agendo plus quam in scribendo versatus, caritatem tolerantiamque semper verbis et exemplo professus, propriis utilitatibus et commodis minime intentus : talis est Tossanus noster. Quum eum Evangelicorum inter se dissentionum vehementer pigeret, cum Farello Calvinoque firmissimam junxerat amicitiam, quam nihil aliud quam Serveti supplicium dissolvere potuit. Insigni enim naturæ proclivitate nec non animi cogitationibus Tossanus ad tolerantiam impellebatur. Sæpissime eum videmus contra Farellum tolerantiæ partes tuentem. Ei fratres sunt illi omnes qui Evangelium amant, qui profanorum simulacrorum cultum diruere volunt, quorumque mores sunt emendati. Inde amicitiæ ejus cum theologis inter se inimicis. Inde etiam nescio quæ animi incitatio, quæ paulatim Calvini et Farelli amorem abjecit.

Quod ad doctrinam attinet, Zwinglianus esse Tossanus videtur.

Qui quidem Zwinglianismus non pristinos Tossani amicos aut illius inimicos fugiebat.

Farellus inter alia ad Blarerum scribebat : « Tossanus egit diutius cum pastoribus qui doctrinam Œcolampadii tenent et sequuntur ; vixit in eorum mensa, ecclesiæ Basileensi sese adjunxit, particeps omnium tum doctrinæ, tum sacramentorum » (1).

Et idem Farellus ad Bullingerum de Tossano : « Ex quo nunquam potui intelligere quin recte sentiret de Zwinglio, et, quan-

(1) Vide, Herminjard, *Correspondance des Réformateurs*, tom. III, pag. 5.

tum possum mente tenere, isthîc in ecclesia egit et vivente (Zwinglio) et post mortem Zwinglii, fassus et pastorem et ecclesiam pietatem Christi tenere » (1).

Brentius quoque ad Schnepfium : « Quod ad causam Cœnæ dominicæ attinet, etsi video Tossanum esse doctum et pium virum, tamen non puto eum omnino abesse a sententia Cinglianorum » (2).

Pius igitur, doctus, prudens in opere, modestus in disputatione, severis moribus vitamque agens culpa vacuam, quod ad theologiam attinet Zwinglianus : talis erat vir qui Reformationis opus Montbelgardi ad finem usque perducturus erat.

Nempe rem difficillimam susceperat : etenim magna erat penuria Ministrorum ; Plebis mores depravati, Evangelium fere omnibus ignotum.

In hoc Reformationis opere Tossanus magnam sane constantiam adhibuit. Demum anno 1538 Ulricus dux et paulo post Georgius, cui frater Ulricus Comitatus administrationem concesserat, edictum publicaverunt quo abrogabatur missa in Urbe Montbelgardo.

Hoc igitur loco nodus iste expediendus est : scilicet cujus Reformatoris Montbelgardi facta reformatio mentem præcipue redolet ?

Documenta illa quæ jam supra attulimus a Tossano reformationem Montbelgardi ad normam helveticam, vel, ut planius dicam, e Blareri sententiis, ordinatam esse testantur.

Quum enim Ulricus ad ecclesiam reformandam Montbelgardum Tossanum miserat, non ei præscripserat ut rebus ecclesiasticis eam daret ordinationem quam recentissime ecclesia wirtembergensis acceperat. Blarerus potissimum Tossanum hortatus erat ut in omnibus prudenter et cum Dei timore ageret. Quum autem Georgius comes posteà eum interrogavisset quid de Sancta Cœna sentiret, se Blarero assentire respondit Tossanus, quumque ea in re insisteret comes, ait et idem Tossanus se cum Schnepfio, omnino Lutherano, consentire non posse, concordiam tamen Schnepfii

(1) Herminjard, tom. III, pag. 5.

(2) Fischlinus, Ad. Memor theol. wirtembergens. supplem., pag. 38.

et Blareri se approbare declaravit. Zwinglianismum igitur suum non dissimulabat Tossanus (1).

Quod in wirtembergensi comitatu amicus ejus fecerat Blarerus id apud nos fecit Tossanus. Abrogatâ missâ, altaria et imagines e templis sustulit. Eodem modo Blareri mentem refert Tossanica illa liturgia, ab anno circiter 1535 usitata, quam vero multo posterius edidit reformator noster sub titulo : *L'ordre qu'on tient en l'Église de Montbéliard, en instruisant les enfans et administrant les saints sacremens, avec la forme du Mariage et des Prières. 1559.*

Hæc quidem primitiva ecclesiarum nostrarum liturgia continet primùm illum pristinum catechismum quo prius ministri Reformationis tempore apud nos usi sunt quemque sequitur Ordo baptismi seu liber baptismalis hoc modo incipiens :

Le Ministre *dit : Le Seigneur Dieu nous soit en ayde.*

Response. *Ainsi soit-il.*

Demande. *Apportez-vous cest enfant pour estre baptisé et receu au nombre et compagnie des Chrétiens?*

Response. *Ouy.*

Le Ministre. *Escoutez donc que c'est du Saint Sacrement de Baptesme.*

Il est certain, que de nostre nature qu'avons de nostre premier père Adam, sommes tous povres et misérables pécheurs, enfans d'ire, subiets à mort et damnation : et que sortans du ventre de noz mères, nous n'aportons tous en ce monde que souillure, peché et malédiction. Mais Dieu par sa seulle bonté et miséricorde infinie, nous lave et nettoye par le sang de Jésuchrist son filz, et par la grace de son saint Esprit qu'il espand sur nous : qui est le vray baptesme et lavement qui nous rend plaisans et agréables à Dieu. Duquel vray baptesme, ce baptesme et lavement visible d'eaue materielle que nous faisons,

(1) Extat Tossani scriptum quo intelligere possumus quid de repurgandis sacris censuerit. Vide : A. Chenot, *Introduction de la Réforme religieuse dans les trois Seigneuries.* Hujus documenti ea pars quam in Supplemento (n° 1) laudamus nondum adhuc fuit excussa.

est la figure et représentation, qui nous asseure et certifie, qu'ainsi que nous lavons et baptisons d'eaue par dehors, ainsi le Seigneur Dieu par la vertu du sang de Jésuchrist son fils, et par la grâce de son saint Esprit, vrayment lave et efface par dedans les péchez de ceux qu'avec vraye foy nous baptisons et recevons en la compagnie des fidèles... »

Quum vero sit Baptismus signaculum quoddam quo discerni possunt illi omnes qui ejusdem sunt fidei, symbolum fidei deinde est recitandum. Quin etiam, is qui baptizatur in nomine Christi, omnia quæ præcepit Christus servare debet præsertimque mandata Dei quæ in Decalogo continentur. Ob eam causam Decalogi recitatio sequitur. Ecclesiastes deinde Deum orat ut infantem servet et adjuvet. Posthæc recitato testimonio Scripturæ quo institutio Baptismi probatur, pergit Ecclesiastes hisce verbis :

LE MINISTRE. *Présentez-vous donc cest enfant au Seigneur Dieu, demandans avec vraye foy qu'il soit baptisé et receu au nombre et compagnie des chrestiens?*

RESPONSE. *Ouy.*

LE MINISTRE. *Nommez-le?*

RESPONSE. *N.*

LE MINISTRE. *N. je te baptise au nom du Père et du Fils et du Saint-Esprit.*

LE MINISTRE. *Le Seigneur Dieu par sa bonté et sa miséricorde, face que cest enfant qu'il a créé à son image et semblance, soit vray membre de Jésuchrist son cher filz, tousjours regy et gouverné par son Saint Esprit : portant vrays fruicts de chrestien et d'enfant de Dieu : afin qu'au jour de l'advenement de Jésuchrist nostre Sauveur, il le recognoisse pour son fidèle et loyal serviteur, et le face avec lui éternellement participant de son Royaume et de sa gloire. Ce que le Seigneur Dieu nous veuille Aujourd'hui ottroyer, au nom de Jésuchrist son cher filz nostre Seigneur.*

RESPONSE. *Ainsi soit-il.*

LE MINISTRE. *La grâce du Seigneur Dieu demeure éternellement sur l'enfant et sur toute la compagnie.*

Allez en paix.

In libello sequitur ratio administrandæ Cœnæ dominicæ. Quum dominico aut festo die sacra cœna celebranda susciperetur, parochus e cathedrâ ad communicaturos præfationem quamdam recitabat de institutione et usu cœnæ domini Sacramentum hoc modo disserentem :

« *Puis qu'aujourd'huy, aydant Dieu, nous voulons faire la sainte-Cène de Jésuchrist nostre Seigneur : afin que nul n'y participe indignement à sa ruine et damnation : mais qu'un chascun s'esprouve diligemment, et examine sa conscience, et sache que c'est de ceste sainte Cène et comme il faut y participer, entendez les choses qui s'ensuyvent.*

Il faut tout premièrement que sachions, que le Sauveur en ce saint sacrement nous fait participans de son corps et de son sang par la grace et rémission de noz péchez. Et qu'il nous a institué ce saint sacrement pour l'asseurance et confirmation de nostre salut et rédemption, faicte par sa mort et passion...

Comme il nous a aussi institué ce saint Sacrement en espèce de pain et de vin, pour le sacrement de la paix et union, charité et dilection qui doit estre entre nous, et afin qu'ainsi que le pain qui est faict de plusieurs grains, n'est qu'une mesme masse : et le vin qui est faict de plusieurs grappes et raysins, n'est qu'une mesme liqueur : ainsi nous qui participons à ce saint sacrement, ne soyons tous ensemble qu'un cœur et une âme en nostre Seigneur, vivans en vraye crainte de Dieu, charité et conjunction les uns avec les autres...

Comme aussi en participant à ce saint sacrement, nous témoignons que nous sommes mis et incorporez au corps mystique de Jésus-Christ nostre Seigneur : c'est-à-dire, à la compagnie des fidèles, qui croyent en un mesme Dieu et en un mesme Sauveur et qui sont régis et gouvernez d'un mesme Saint-Esprit et sont d'une mesme foy, de laquelle nous faisons confession quand nous disons... » Sequitur Symbolum fidei.

Post hanc exhortationem recitat parochus publicam confessionem hisce verbis :

« Seigneur Dieu tout puissant, nostre Père céleste et créateur, nous confessons auiourd'hui devant toy, que des nostre naissance n'avons jamais faict que t'offenser, transgressans tes commandemens en parolles, en faicts et pensées, tellement que nous ne sommes point dignes d'estre appelez tes enfans, ne lever noz yeux au ciel devant ta sainte majesté. Mais toutesfois, Père céleste, nous te prions auiourdhuy et humblement réquérons avec cœurs contritz et desplaisans de nostre mauvaise vie précédente, qu'il te plaise, par ta sainte bonté et misericorde infinie, nous pardonner nos péchez, et nous recevoir à grâce et mercy, par et au nom de Jésuchrist ton cher fils nostre Seigneur.

Qua recitata confessione accedit formula absolutionis :

Or oyez la bonté de Dieu et la consolation et absolution des povres pécheurs, qui avec vraye foy et délaissement de leurs péchez, retournent à la miséricorde de Dieu.

Le Seigneur Dieu nostre Père céleste, plein de toute bonté et miséricorde, dit qu'il ne veut point la mort et perdition des pécheurs, mais plustôt la vie et le salut de ceux qui vrayment et de cœur delaissent leurs péchez et retournent à sa miséricorde. Et qu'il nous a tant aymez qu'il a donné son cher filz à la mort pour nous : afin que ceux qui croyent en luy ne perissent point, mais qu'ils ayent par luy la grace et remission de leurs péchez, le salut de leurs âmes, et la vie éternelle.

Esquelles paroles et promesses de Dieu nous croyons et luy en rendons graces et louange par iceluy Jésu-christ son cher filz notre Seigneur ».

Quia vero, in sacra cœna, Christi mortem annuntiare debemus, videlicet quod pro nobis peccatoribus mortuus sit, hoc in loco adducit Tossanus locum S. Lucæ (XXIII) mortem Domini narrantem.

His peractis, Pastor seu Minister ad tabulam veniens populo prælegebat verba quibus Paulus apostolus institutionem cœnæ dominicæ refert.

Denique, oratione dominica recitata, atque post ultimam ad populum hortationem, porrigendo panem minister dicebat :

La foy que tu as au corps de Jésuchrist, crucifié pour tes pechez, te sauve ;

Porrigendo vinum :

La foy que tu as au sang de Jésuchrist répandu pour tes pechez, te donne vie éternelle.

Dum Eucharistia distribuitur, Ecclesia canit psalmos aliquot gallicos.

Post cœnam iterum ultimam precationem recitat pastor et tandem, his omnibus peractis, actionem solemni benedictione concludit.

Has igitur cærimonias substituit Tossanus Missæ Pontificiorum.

Benedicendi conjugii ratio deinde sequitur.

Denique liturgia finitur ordine precationum quibus in hebdomade ecclesiarum ministri uti debent.

At enim quis erat propriè ordo cultus divini die dominica celebrati ?

Ea de re tacet Tossani opusculum : credimus tamen ex inquisitionibus nostris hunc fuisse publici cultus ordinem et ritum.

Pastor primùm orationem recitat, legit deinde pericopam evangelicam vernacula lingua illamque plebi explicat. Ante et post concionem canebatur (1).

Cultus claudebatur oratione illa quam in liturgia Tossani legimus quamque mercurii die recitare solebat ecclesiastes.

Certum est igitur ecclesiarum Montbelgardensium Reformationem ad normam helveticam factam fuisse sicut et ipsa testatur hæc Tossani liturgia ad Blareri et proinde Zwinglii mentem et spiritum plane accommodata. Hoc tamen notandum est Tossanum in sua liturgia servavisse has responsiones quibus christianus populus

(1) Psalmos gallicos primis a temporibus Montbelgardi cantatos fuisse ex litteris patet quas, die 28 junii 1539, Tossanus Calvino scripsit. Vide Herminjard, tom. V, pag. 452.

divini cultus aut sanctæ cæremoniæ fit particeps [1] illamque absolutionis formulam quæ Reformatis hujus temporis adeo repugnare videtur.

Quæ cum ita sint, hanc Tossani liturgiam rarissimam quidem et omnibus fere ignotam, Reformatis fratribus vehementer commendamus.

(1) Hujus rei alia quidem exstant exempla. Vide Daniel Pastor, *le Manuel du chrestien*, Genève, 1652, pag. 75. « Mesmes de ces réponces, nous avons en vérité dans nos Églises, esquelles durant la prière publique, une partie des assistans dit à voix basse cela mesme que celui qui prie hautement, et cela pour tesmoigner qu'ils suivent avec un cœur bien attentif la voix de celuy qui fait la prière : Et tout le peuple dit Amen ». Cf. de Félice, *Le Christianisme au XIX^me siècle*, 12 janvier 1884.

ECCLESIASTICORVM RITVVM ET CAEREMONIARVM, DVcatus VVirtembergensis Regula, in usum quorundam parochorum, germanice nescientium, e germanico in latinum uersa.

AVTORE ERHARDO
Schnepffio Ecclesiaste Stutgardiano.

1. ad Corinth. 14.
Omnia decenter & secundum ordinem fiant.

Ann. M. D. XLIII.

CAPUT TERTIUM

DE ECCLESIASTICA REGULA ANN. 1536

De ecclesiastica regula wirtembergensi ann. 1536 quam apud nos introductam volebant theologi et Principes lutherani

Hâc Tossani liturgiâ usi sunt Montbelgardenses ministri ab anno 1535 usque ad annum 1542. Sed anno 1543 perturbationes majoris momenti exortæ sunt super varia postulata a ministris quæ in quadam Regula ecclesiastica contenta erant, quam Ulricus Dux quum in suo Ducatu Wirtembergensi, tum etiam Montbelgardi introductam volebat.

Ordinatio illa (1) quam anno 1536 promulgaverat Ulricus, lingua vernacula conscripta ab Erhardo Schnepfio ecclesiaste Stuttgardiano, e germanico in latinum versa fuit « in usum quorundam parochorum germanice nescientium, hoc est Ministrorum Montbelgardi agentium ». « Visum est nobis, aiunt Ordinationis auctores, rituum ecclesiasticorum regulam quandam scripturæ canonicæ per omnia consentaneam constituere, quam universis nostris concionatoribus, parochis et ecclesiarum cujuscunque ordinis ministris ad infirmorum scandala et adversariorum calumnias evitandas, summa diligentia et inviolabiliter observandam et sequendam proponimus ».

Omnia se ex S. Scripturâ repetiisse dicunt auctores, abhorrere se a cærimoniis quarum necessitas nullo verbo divino possit demonstrari.

(1) *Ecclesiasticorum rituum et cæremoniarum, ducatus Wirtembergensis Regula, in usum quorumdam parochorum, germanice nescientium, e germanico in latinum versa.* Autore Erhardo Schnepffio Ecclesiaste Stuttgardiano. Ann. MDXLIII. Elaborata Tubingæ ab Ulricho Morhardo. *Cf. Archiv. nation., K. 2176.*

præcedente Sabbato, concio preparatoria sit habenda, nomen vero suum quemlibet post eam debere deferre parocho, penes quem sit auctoritas pios exstimulandi et judicii divini metuendis minis præfractos et indignos dehortandi. Nunc, hæc est ratio cœnæ dominicæ celebrandæ. Dominico aut festo die, quo cœna peragenda est, ut ait, primum canatur : *Veni Sancte,* idque vernacula lingua. Subjiciantur deinde psalmi aliquot aut unus saltem psalmus. Deinde, parochus cathedram conscendens, concionetur de institutione et usu.

Monent iidem inprimis ut parochi capita et rudimenta doctrinæ christianæ ordine et diligenter tractent et exponant. Postea ad pericopas Evangelicas seu, ut vocant, dominicalia, progrediendum esse censent quibus jam olim ecclesia assueta est, et suadent ut illis elucidandis omnem impendant operam Ministri. Ceterùm « non debent conciones publicæ nimium prolixæ et fastidiosæ esse neque temere horam excedere », ne nimia prolixitate auditor defatigetur. Cantiones aut cantilenas vernacula lingua conscriptas maxime commendat ordinatio : « Summo studio parochi et in hanc partem disciplinæ ecclesiasticæ incumbant, cohortenturque populum ne erubescat in laudem creatoris sui pia reserare ora ».

Quod ad vestimenti genus attinet, togam choralem seu *chorrock* antea a quibusdam ministris usurpatam abjiciendam esse prescribit ordinatio, quærendam autem uniformitatem in veste honesta nec nimis longa, nec nimis brevi.

Quoad festos dies, subsequentes observari vult ordinatio : diem dominicam, natalem Domini, circumcisionem, pascha, exaltationem et reditum in cœlum, Pentecosten. Alii vero festi dies ita observari debebant ut tempus antemeridianum conventibus ecclesiasticis, concionibus et precibus publicis dedicaretur, postmeridiano vero omnis populus suetis laboribus vacaret. Sequentes dies hujus sunt ordinis : « Dies trium regum, Dies jovis qui est ante « parasceuen », sacra Christo patienti dies, annunciationis, purificationis Mariæ, omnes apostolorum dies, dies S. Joanis Baptistæ. Sexies per annum S. Cœnam celebrari vult novæ ecclesiæ legislator, ad quam

cœnæ dominicæ. Finita concione, interim dum minister de cathedra ad altare festinat, ecclesia vel symbolum vel aliam cantilenam vernacula lingua canat. Tantum vini et panis altari imponendum est quantum ecclesiæ communicaturæ sufficere queat, ne videlicet quid desit aut redundet.

His peractis, minister ante altare stans, sese ad populum vertens eam brevem hortationem ad communicaturos faciebat qua nunc hodie in cœna celebranda, paucis mutatis, utimur. Sequebatur confessio generalis peccatorum et absolutio, quarum formulæ eædem sunt quibus etiam nunc utimur. Ordinationis tamen auctores tres formulas absolutionis proponebant quarum optionem ministris relinquebant.

Post absolutionem ecclesiæ canenda erat oratio dominica atque, finita oratione dominica, parochus sic se statuens ad altare ut panem et vinum pariterque populum in conspectu suo haberet clara voce recitare non *cantare* Institutionis verba debebat. His verbis recitatis, populus communicaturus accedens, ab altero cornu altaris corpus christi, et cornu illi opposito, sanguinem e manibus ministri accipiebat. Dum distribuitur eucharistia vult ordinatio cantari illam cantiunculam « toti prope Germaniæ cognitam » : *Gott sey gelobet*, hoc est : *Benedictus Deus qui nos sua carne pavit*, aut cantilenam : *Jesus Christus unser heilandt*, Christus Ihesus noster servator.

Post Eucharistiæ distributionem, parochus recitabat oratiunculam aliquam atque, his omnibus peractis, cœnam dominicam publica benedictione claudebat.

Communionem ægrotorum privatam commendat ordinatio.

Caput de Baptismo sequitur quod in toto Lutherum sapit. Pars illa liturgiæ cohortatione ecclesiæ incipiens nimis theologica mihi quidem esse videtur. Unicam verohanc quæstionem patrinis faciendam proponit ordinatio : Charissimi vultisne istum puellum, in nomine Jhesu Christi baptizari et externo baptismatis symbolo sanctæ ecclesiæ ejus incorporari ?

Ut jam Lebret observat, non hæc occurit quæstio an puellus baptizandus credat in Patrem Filium et Spiritum Sanctum, sed ea de re

unice agitur ut infans in Jesu Christi nomine baptizatus ecclesiæ suæ inferatur.

Excepta quidem responsione, nîl amplius quærit parochus sed puerum ter aqua aspergens, baptismi formulam dicit.

Hic notandum est nullum, in hac liturgia a lutherano Schnepfio conscripta, de exorcismo occurrere vestigium.

Dat deinde ordinatio nostra formulam privati baptismi quem obstetrices ipsæ aut alii privati homines, periculo mortis imminente, infantibus domi conferre possunt. Vult eadem conjugium coram ecclesia primum proclamari posteaque a ministro confirmari (1). Subjungit etiam instructionem quamdam « rudioribus Parochis » præscriptam quomodo conveniat morituros consolari (2).

Sequuntur sepulturæ ritus et cærimoniæ nec non Brentii catechismus.

Ordinationem denique claudunt precationes ecclesiasticæ quæ diebus festis aut in omni calamitatum genere sunt recitandæ quarumque pars major cum hodiernis precum formulis, paucis mutatis, convenit.

Hæc est divini cultus christianarumque cærimoniarum ratio quam Principes nostri, theologis wirtembergensibus suadentibus, in Montbelgardenses ecclesias introducere volebant. In anno enim 1542, quum dux Ulricus filio suo Comitatus Montbelgardensis administrationem cessisset, Christophorus Montbelgardum petiit, secum habens præconem aulicum Joannem Angelandrum (germanice Engelmann), antea pastorem Engersheinensem, qui statim apud nos omnia præsertimque res liturgicas, ad Augustanæ Confessionis normam reducere aggressus est.

Propositis ducum Ulrici et Christophori necessario obsistere et repugnare debebant Ecclesiæ et ministri jam ad Tossani liturgiam assueti.

Tossanus quidem ipse, de ejusmodi conciliis certior factus, pri-

(1) Schnepfius in hâc Liturgiæ parte Lutheri libello *de Matrimonio* utitur.

(2) Pars illa Brentium sapit. Vide ejus scriptum : *Wie man sich christenlich zum Sterben berayten soll.*

mum totam rem moderate, ut solebat, inspexit. Jam quartâ die Martii a. 1543, consilium requirit a familiari suo ministro Mathiâ Erbio, ecclesiæ Richevillensis pastore. « Ego, ait, quoties cœnam Domini singulis annis celebres, item an participaturi sese antea ministro representent, quo fidei suæ rationem reddant, ad hæc an illam ægrotis privatim administres, scire cupio, et tuam super his audire sententiam (1).

Ad hæc respondit Erbius sibi quidem propositas mutationes maxime videri periculosas (2). Quod idem sentiebat Tossanus, hisque verbis amico Erbio quidquid timeat, exponit : « Facile judicare potes quam offendetur noster populus et hæc tota vicinia. Exempli gratia habemus hîc nostrum catechismum (3), nostrum præscriptum et consuetum in sacramentis administrandis modum, aliaque id genus, quæ si nunc mutes, quid dicet populus? Item abrogata sunt Virginis et sanctorum festa, quod hæc gens illorum cultui vehementer esset dedita, quæ si restituentur, quid cogitabunt infirmi? quid dicent adversarii? (4) ».

Tossanus aliquando speraverat fore ut Angelandro manifestas faceret incommoditates quæ ex mutatis Ecclesiarum nostrarum consuetudinibus orirentur. Nempe die vigesima nona Julii anno 1543 ita ad Erbium de Angelandro scribit : « Verbi Minister ille qui nuper venit, Joannes nomine, natione Bavarus, homo non indoctus, aetate satis matura, compositisque moribus, videtur bonus vir esse (5) ».

Sed vir iste bonus homo erat mediocri ingenio, nec quid amplius curans quam ut jussis magistrorum suorum Lutheri et Brentii do-

(1) Vide Herminjard, *Correspondance des Réformateurs,* tom. VIII, pag. 293.

(2) Herminjard, tom. VIII, pag. 462.

(3) Herminjard (*Correspondance des Réformateurs,* tom. VIII, pag. 463, nota 5) ita de his loquitur : *« Nous ne savons quel catéchisme était usité à Montbéliard, mais nous ne doutons pas que la liturgie ne fût celle de Farel ».* Catechismus vero Montbelgardi usitatus erat Tossani, liturgia autem ea quam explanavimus et cujus idem Tossanus auctor erat.

(4) Herminjard, tom. VIII, pag. 463.

(5) Ibidem.

cilem se exhiberet. Tossanus in epistolâ ad Sigismundum Taurum narrat se tentavisse cum eo colloquium habere : « Nostrum (id est Angelandrum) hîc appelavi de concione, ea qua potui lenitate, sed dicit se suos habere præceptores, Lutherum videlicet et Brentium, a quibus discedere nolit, nihilque vel docuisse, vel docturum quod illi non doceant (1) ».

Interim, Tossanus quum videret nihil se ab Angelandro vel verbis vel literis impetrare posse, legatos misit duos Neocomum ut caperent consilium a ministris, qui, de lite certiores facti, hortati sunt eos ut Genevam pergerent ad Calvinum, cujus sententiam Tossanus quoque audire cupiverat. Hi præsertim articuli Montbelgardensibus ministris erant offensioni, scilicet examen eorum qui sanctæ cœnæ communicare volebant, S. Cœnæ administratio apud ægrotos, campanarum pulsus, festi sanctorum, baptismus obstetricibus permissus.

Festinum baptismum impiam Baptismi profanationem nuncupat Calvinus in responsione sua : « Hoc caput, inquit, non tantum repudiandum judico, verum si urgere vos princeps ultra modum pergat, usque ad sanguinem resistendum potius quam huic non tolerandæ superstitioni consentiatis (2) ».

Festos quoque dies Annunciationis et Purificationis Mariæ papisticum et insanum esse censet.

Hoc accepto responso, Tossanus et ministri sententiis ejus assentientes, statim ad Angelandrum et novum ejus lutheranum collegam Pantaleonem Blæsi pergunt se Augustanæ confessionis addictos profitentur præsertim de S. Cœna materia ; quod vero ad manducationem impiorum pertinet, colloquium petunt cum diversis theologis. Præterea novum cærimoniarum modum, festos dies et wirtembergenses ritus se repellere dicunt.

Quo audito, Angelander pium et bonum Tossanum sua sponte atque auctoritate excommunicare ausus est.

(1) Herminjard, tom. VIII, pag. 465.

(2) *Epistolæ et responsæ Calvini*, Hanoviæ, 1597, pag. 110. *Thes. epistol. calvin.*, tom. II, pag. 623.

Hæc dum geruntur, Christophorus sese inter istas rixas interponens, ab Ulrico patre quid agendum sit litteris postulat. Ulricus respondit ministros ab ordinatione nova abhorrentes statim e ditione expellendos esse. Christophorus vero, res turbulentas metuens sapientissime cunctatur.

Interea, Brentius, vir maximæ doctrinæ, omnino quidem Lutheranus, cujus vero sensus erat liberalior, amicum suum et discipulum ad moderationem hortabatur : « Quæso autem te, mî Engelmanne, scribebat Brentius, considera tecum causam ipsam hujus controversiæ : De manducatione impiorum litigatur. Quid ? annon fœdum est pios suscipere mutuum inter se bellum propter manducationem impiorum ? Excitabone discordiam in Ecclesia et perdam Ecclesiam propter eos qui non sunt de Ecclesia aut sunt ficta membra Ecclesiæ ? Quid ad me, inquit Paulus, vel de his qui foris sunt judicare ? Quare, amicissime mî Engelmanne, rogo te per Christum, da hoc tranquillitati Ecclesiæ ; da Christo ipsi servatori nostro ut, si Tossanus pia docet et honeste vivit quemadmodum ex amicorum litteris intelligo, non rumpas ob unam hanc causam vinculum pacis, sed ambules cum eo concordi amicitia et charitate in domo Domini : Si quis istorum celat occultam impietatem, viderit hæc Dominus. Nostri certe officii est malum bene conditum non movere. Hæc scripsi ad te candido animo pro jure veteris amicitiæ nostræ. Peto igitur ut vicissim candide et amice ea accipias » (1).

Nullo modo christianæ illæ et pulcherrimæ sententiæ Angelandrum movisse videntur. Tossano autem aliisque ministris vel litteris vel verbis ab illo petentibus ut rationem ecclesiæ montbelgardensis haberet, sequente scripto respondit Angelander :

« Quia Ministri, inquit, crebris sollicitationibus supplicibusque libellis apud nos (2) instant ut ab Ecclesiis harum ditionum auferamus omnes causas et occasiones quorumcumque offendiculorum et intelligunt festos illos dies et ritus Ecclesiasticos secundum ordinationem Ecclesiasticam Wirtembergensem jussu etiam Illustris-

(1) Vide Fischlini *Supplement. ad memorias Theol. wirtemberg.* § 6, pag. 28.

(2) Scilicet Angelander et illius Collega Blæsi.

simi principis et domini Udalrici, ducis Wirtembergensis et institutos et in parochia nostra aulica jam diu observatos, præcipuas occasiones esse et causas offendiculorum illorum. Sciant ministri hoc non esse omnino nunc nostri officii, nec debere nos quæ authoritate Illustrissimi Principis D. Udalrici et consilio multorum Theologorum ac optimorum virorum constituta et inchoata sunt, sic temere iterum abrogare sed expectare potius dicti Illustrissimi Principis et super hac re decretum ». Deinde, Lutheri sententia de S. Cœna plane exposita, hisce verbis pergit Angelander : « Si sic ministri juxta præscriptam confessionem et consensum Dominorum protestancium de Cœna Domini et omnibus Religionis nostræ articulis, pie quemadmodum profitentur, sentire, et in hac sententia, auxiliante Deo perseverare volunt, præterea eos qui festa et alia adiaphora et quæ observari aut omitti bona conscientia possunt et aut nuncque abrogarint aut abrogata iterum restituerint, in posterum neque supersticionis neque idololatriæ incusare, nullis conviciis sive publice, sive privatim proscindere, sed in rebus illis adiaphoris aut abrogandis aut restituendis semper pio et Christiano Magistratui cedere : ac quæ præscripsimus promissa ac data fide sancte observare, seseque singulos singulorum manibus subscribere volunt : Statuimus eos pro piis Ministris ac Ecclesiæ Membris, seposita omni suspicione, agnoscendos, tantisper dum sine publico offendiculo recta in ministerio suo fideliter et synceriter pergunt. Actum 28 martii anno 1545 » (1).

Istiusmodi contumeliosa responsione aliisque injuriis exacerbatus, quum esset alioqui ab Angelandro a cœna domini ignominiose remotus, Tossanus noster, non minus quam antea sapiens ac moderatus et par pari referre nolens, inimico cedere maluit et munere suo mense Julii 1545 abdicavit (2).

Tum demum intellexit dux Ulricus se nimia severitate usum fuisse atque Tossanum qui Basileam petierat ad se Stuttgardum

(1) *Responsio ad omnes libellos supplices verbi Ministrorum Montbelgardens. de componenda et stabilienda inter nos concordia.* Arch. nat., K. 2179.

(2) De Tossani Basileæ exilio vide *Thes. epistol. calvin.* tom. XII, pag. 121, 122, 125, 133, 134, 143, 144, 145.

vocavit. Is equidem, quanquam a Schnepffio acriter lacessitus, totam ibi victoriam retulit (1).

Rescriptum statim edidit Ulricus quod cum Regula ecclesiastica conferri debebat (2). Hoc mandato inter alia inscriptum erat : Festos dies Virginis Mariæ aliorumque sanctorum et apostolorum denuo abrogatos esse ; dominicam cœnam quater per annum celebrandam esse atque secundum ordinem quem antea præscripserat Tossanus. In articulo de privato et subitario baptismo summa prudentia utitur Ulricus. Dicit enim ministros jam decem abhinc annis tantam diligentiam in baptizandis infantibus consumpsisse ut ne unus quidem non baptizatus vitam reliquerit; propterea baptismum obstetricibus permissum, sane inutilem, abrogari ne, mulieribus sese in ecclesia Dei ingerentibus, superstitioni ansa præberetur.

Quod autem attinet ad Angelandrum, serio admonet eum Ulricus ut tranquilliorem moderatioremque animum in posterum præstet, nisi in offensam sui occurrere velit.

Denique redintegrationem Tossani pronuntiabat Ulricus munusque Superintendentis ei rursus committebat, ea tamen conditione ut christianam doctrinam sincere prædicaret secundum normam V. et N. T., Augustanæ Confessionis ejusque Apologiæ ut et Regulæ Ecclesiasticæ Wirtembergensis, exceptis tamen iis quæ in novissimo rescripto corriguntur atque abrogantur (3).

Ex his omnibus igitur quæ supra attulimus liturgiam Tossani, post has omnes rixas et controversias, in ecclesiis nostris adhuc usitatam fuisse plane patet.

Tossanus quidem Montbelgardensesque ministri se secundum Augustanam Confessionem docturos promiserant (4), sed revera non sine quadam interpretationis libertate.

(1) Illi subsidio venerant Balthazar a Gültlingen, Cancellarius Knoderus et aulicus præco Gaspardus Græterus.

(2) Vide Arch. nat., K. 2176.

(3) Vide *Thes. epistol. calvin.*, tom. XII, pag. 273, 274. Archiv. nation. K. 2176, 2179.

(4) « Augustanam confessionem tolerabilem existimo nec tam abhorrendum ab ea. » Farellus Calvino, *Thes. epistol. calvin.*, tom. VIII, nº 2794.

CAPUT QUARTUM

De ecclesiastica ordinatione Wirtembergensi, anno 1559 promulgata, a Montbelgardensibus primum repulsa, tandemque accepta

Post controversias quibus edictum anno 1545 promulgatum finem imposuerat, Tossani liturgia ecclesiarum nostrarum propria et peculiaris remanserat. Ceterum vix duo anni a reditu Tossani effluxerant, quum longè graviores curæ nostris hominibus incubuerunt. A Carolo quinto devicti Germaniæ Protestantes legem in annalibus nomine *Interim* cognitam accipere acti fuerant (1548). Ulricus igitur sese, ut cæteri, necessitati accommodare debuit. Catholici presbyteri Montbelgardum revocati sunt, hâc tantum iis imposita conditione ut missam gallico sermone dicerent, ut communionem sub utraque specie darent et vitam honestam agerent. Aliquot solum pastoribus reformatæ ecclesiæ sub nomine catechistarum apud nostros remanendi data est licentia.

Per quatuor annos viguit *Interim*. Anno vero 1552 fœdus Passavicum nostros duro isto servitio liberavit. Dux Christophorus qui anno 1550 patri Ulrico successerat, quam primum catholicos presbyteros expulit et omnia apud nos in pristinum restituit statum.

Tossani quidem auctoritas per hos miseros annos in dies creverat, nec minui poterat adventu veteris ejus amici Comitis Georgii, cui anno 1553 Christophorus, ut avunculo suo, Montbelgardensem provinciam concesserat.

Comes Georgius, Reformatus potius quam Lutheranus, ecclesias nostras nullo modo ad Lutheri disciplinam redigendas curavit. Eo jubente, Tossani liturgia anno 1554 recognita, nec multo post die Jovis quartâ et vicesimâ die Aprilis ejusdem anni coram Consilio

principis et universis totius regionis pastoribus, solemniter perlecta et promulgata fuit. Basileæ autem, ut supra vidimus, anno 1559 typis excusa est.

Attamen, mortuo Comite Georgio (anno 1558), novæ res instabant. Montbelgardensis Comitatus obvenerat juveni comiti Frederico, Comitis Georgii filio : cui quidem in testamento pater tutores instituerat Christophorum ducem Wirtembergensem, Philippum Comitem Hanoïcum et Wolfgangum comitem palatinum Rheni, qui omnes, et inprimis Christophorus, summo studio Lutheri disciplinam prosequebantur.

Iis ab ipso Tossano, ut videtur, sese in res ecclesiasticas Montbelgardi immiscendi occasio oblata est. Tossanus enim edictum anni 1545 constanter observare volebat, quo quidem nostræ regionis ministri Augustanæ confessioni, non sine quadam interpretandi libertate, adhærere cogebantur.

Præterea, quum natura ad tolerantiam propensus esset, a Calvino in Serveti causa dissidere debuerat. In magna illa de tolerantia controversia cum Brentio et Castellione contra inclytum Genevæ reformatorem steterat : nec magis prædestinationis doctrinam sequebatur.

Ægre igitur tulerat quosdam reformatos ministros conantes nostras ecclesias a Wirtembergensibus ecclesiis ad helveticum Calvinismum deducere. Itaque videmus eum die decimâ Martii anni 1559 in epistola ad Brentium directa avertentem a regione nostra Gallicos exules, e Berna expulsos, qui nimio studio Calvini et Bezæ opinionem de prædestinatione prosecuti erant (1). Suadet quoque ne in nostras ecclesias quemdam Johannem Garnerium accipiant qui rigore suo gallicam Argentinensem ecclesiam perturbaverat. Alibi falsas doctrinas deplorat quas nonnulli Montbelgardum tentant inducere (2).

Tutores principes, querelis ejus respondentes, miserunt Mont-

(1) Vide Supplementum, n° II et III.

(2) De Joanne Garnerio vide *Thes. epist. Calvin.*, tom. XII, pag. 5, not. 3. Ibid. pag. 70. Vide etiam, ibid. n° 2858. Garnerius Calvino : « Constitueram... me Montbelgardum conferre juxta consilium tuum. At hoc summis conatibus impedivit Petrus ille Toussanus suis literis ».

belgardum mense Maio 1559 legatos qui ecclesias nostras invisερent. Qui quidem retulerunt ministros plerosque doctos esse viros et pios, in omnibus religionis rebus eruditos et Augustanam Confessionem sequentes. Non tamen perinde omnino laudant modum administrandi baptismum et Sanctam Cœnam, nec in cærimoniis et ritibus eosdem mores et consuetudines ubique reperiunt.

Quas ad incommoditates avertendas, dux Christophorus dedit Concilio suo quartâ et vicesimâ die Junii anni 1559, illud negotii ut unà cum nonnullis theologis suis et inprimis cum Johanne Brentio curarent redigendam et in Montbelgardensem comitatum introducendam ecclesiasticam ordinationem.

Quapropter colloquium Lichtnaviæ factum est.

Legati censuerunt accipiendam Montbelgardi ecclesiasticam Wirtembergensem ordinationem anni 1559, quæ quidem eadem est ac regula anni 1536, a Brentio recognita et locupletata.

Item Tossani Catechismus tollendus erat et Brentii catechismo locum cedere debebat. Legati condonant ne introducantur in ecclesias nostras vestis choralis *(Chorrock)*, festi dies *(Feyertage)* et latinus cantus.

Quæ quidem ordinatio primum germanico conscripta sermone in latinum et postea in gallicum vertenda erat (1).

Antequam longius pergamus, inspiciendum nobis est opus Brentii et legatorum Lichtnaviensum, ut plane cognoscamus mutationes quas allaturum erat in ordinem divini cultus, in ritus et cærimonias ecclesiarum nostrarum, jampridem liturgiæ Tossani assuetarum.

Quod primum ad dominicalem cultum attinet, sequentem rationem inducebat ordinatio.

Scholastici latine *Introïtum* canunt aut gallicum canticum. Deinde minister cathedram ascendit et Evangelium ejus diei interpretatur. Postea canitur psalmus aut canticum. Hunc cantum sequitur oratio. Post quam orationem, cujus ordinatio duas affert formas, alteram longiorem, alteram in brevius reductam, Minister recitat, iisdem semper verbis, nec ulla mutatione allata, decalogum, symbolum fidei et dominicam orationem.

(1) Archiv. nation., K. 2179.

Hactenus de præcipuo dominicali officio. In urbibus vero, alterum postmeridianum fieri debebat. Scholastici cultum inchoabant aliquot Davidi psalmos cum temporali antiphona canentes : deinde ministro recitandum erat quoddam Sacræ Scripturæ caput et breviter interpretandum.

Quo facto, canitur gallice Virginis Mariæ canticum : *Magnificat anima mea Dominum.* Deinde minister populum dimittit, dicta dominica oratione et assueta benedictione.

In hebdomade vero duo officia cum sermone in urbibus, unum autem ruri fieri debebant.

Cærimonia incipiebat a cantico : *Media vita in morte sumus,* aut ab alio psalmo. Postea cathedram conscendebat minister et prædicabat de illo ex Sanctis Scripturis excerpto loco, quod ei quam aptissimum ad ecclesiam ædificandam esse videbatur. Ordinatio jubet ministrum postea hortari ad veram et sinceram pœnitentiam. Quam post exhortationem cantanda erat litania secundum usitatum tenorem. In locis ubi deerant scholæ, ministri litaniam recitare coram populo satis habere poterant.

Oratione quadam, quæ postea confessio peccatorum exstitit quæ in ecclesiis nostris ad altare ante prædicationem legitur, concludebatur cærimonia.

Veniamus nunc ad administrandorum sacramentorum rationem.

Cœnæ liturgiam anteibat longa introductio de Pœnitentia. Ordinatio jubet singulos celebrandæ sacræ cœnæ dies præparari fideles prædicatione. Nemini sacram cœnam adire licet, nisi ministrum admonuerit et ab eo edoctus et interrogatus fuerit. Schnepffii quidem regula jubebat cœnam sexies in anno celebrari. Brentio autem hoc non sufficit : cœna quoque mense aut in quinos denos dies celebranda est.

Quo die celebranda erat cœna, congregatio initium faciebat a cantu : « *Veni Sancte Spiritus.* » Postea minister in cathedram ascendens, de cœna ejusque præparatione concionem habebat et ecclesia symbolum cantabat.

Deinde minister stans ante altare præmonitionem legebat quam sequebatur publica peccatorum confessio et absolutio.

Alia oratio, dominicæ orationis et verborum institutionis sanctæ Cœnæ cantus absolutioni succedebant.

Progrediebantur tum fideles et ad alterum altaris angulum « corpus Christi », ad alterum vero « Servatoris sanguinem » accipiebant.

Minister autem, quum corpus distribueret, ita loquebatur : *Pren et mange : c'est cy le corps de Christ, qui a été baillé pour toi*».

Quum vero sanguinem daret : « *Pren et boy, c'est cy le sang de la nouvelle alliance qui a été répandu pour tes pechez* ».

Cœnæ tempore, cantabat Ecclesia : « *Benedictus Deus, qui nos sua carne pavit* ». Postremo ultima oratione Deo gratias agebant et ita cærimonia finiebatur.

Formularium anni 1559 pulcherrimum quidem est et doctrina vitaque christiana locupletissimum, at sine utilitate formularium anni 1536 in longius producit, nec abunde cærimoniis hæc verba Schnepffii accommodat : « Cæterum non debent orationes publicæ nimium prolixæ et fastidiosæ esse ».

Quare, verbi gratia, in introductione dilatanda et explicanda erant verba sacræ institutionis ? Nonne ea per se ipsa abunde sunt solemnia et intellectu facilia ?

Quod ad baptismum attinet, ordinatio anni 1559 orditur a prolixa explanatione de baptismo quam intercipit lectio Marci X.

Sequitur oratio (utraque forma a Schnepffio sumpta est) quam concludit oratio dominica. Postea minister infantem ita alloquitur :

Le Seigneur garde ton entrée et ton yssue
Dès maintenant jusques à jamais.

Deinde, ad patrinos conversus, petit ab iis ut pueri nomine diabolum repudient et omnia ejus opera, symbolumque fidei pro infante profiteantur.

Quod ubi exactum est, baptismum minister conficit et orans Deo gratias agit. Tandem ultima ad patrinos et parentes infantis exhortatio cærimoniam concludit.

De hoc formulario eadem observanda sunt ac de Sanctæ Cœnæ formulario : nempe prolixius est. Multoque nobis anteponenda videtur simplicior formula anni 1536. In neutra forma de exorcismo agitur.

Anni 1559 ordinatio tolerat quoque baptismum privatum fieri per obstetrices aut quemlibet alium. Sed quoniam jam in hac re peccatum fuerat, vetat ullum infantem baptizari antequam ex utero materno egressus sit.

Matrimonii quidem formularium pæne omnino Ordinationem anni 1536 iterat, id est primum novos conjuges, advocata Scriptura, divinæ matrimonii institutionis et gaudiorum, officiorum et onerum ejus admonet. Postea minister utrumque conjugem his simplicibus verbis interrogat :

Vous N. voulez-vous prendre N. pour votre femme légitime?

Vous N. voulez-vous prendre N. pour votre légitime mari ?

Quod quum affirmaverint conjuges, minister iis benedicit et brevi oratione concludit.

Ordinatio anni 1559 hic supprimit duos psalmos quos Schnepffius a ministro coram provolutis conjugibus recitari jubebat.

Sepulturæ cærimonia eadem est in utroque formulario. Minister quidem, postquam defunctus ad locum sepulturæ delatus erat, legere debebat I Thess. IV, Iohann. IX, aut I. Cor. XV.

Postea brevior ei habenda erat concio de morte et resurrectione, et vita æterna, ita ut propinquos consolaretur eorumque dolorem leniret.

Post prædicationem jubet ordinatio ut minister « defunctum in manus Dei commendet et conventum solita benedictione dimittat ».

Hæc ordinatio, ut facile intelligi potest, multis in rebus Montbelgardensium sententiis contraria erat ; nec talis qualis erat a Tossano et idem ac ille sentientibus ministris recipi poterat : ergo hi principibus gravamina sua mitti voluerunt, quæ quidem legati se transmissuros denegaverunt.

Tossanum autem isti solum ad se mandaverunt, et ab eo petierunt ut diceret utrum Ordinationem accipere posset necne, aut quas ejus partes admittere paratus esset. Quum vero Tossanus se nihil sine collegis acturum respondisset, nihil aliud legatis faciendum supererat, quam ut Principibus de mandato sibi negotio singulatim referrent.

Tossanus vero principibus tutoribus suam publicam protestatio-

nem contra Ordinationem mitti curavit. In qua præsertim in novas cærimonias invehitur, quas Montbelgardi introduci legati volebant : « Principio igitur, exclamat Tossanus, quod ad doctrinam attinet, pollicemur omnes (quod hactenus gratia Christi præstitimus) nos in Ecclesiis nostris non aliam doctrinam docturos, quam quæ a Prophetis et Apostolis tradita, in Confessione Augustana explicata et in articulo primo Ordinationis vestræ summatim repetita est. » De ritibus autem et cærimoniis ita censet Tossanus, scilicet hac in re rationem habendam temporum, locorum et hominis cujusque necessitatum. Quod quum ita sit, cærimonias Montbelgardi usitatas servandas esse arbitratur, quæ quidem, ipsis Tutoribus principibus consentientibus, nec a Divina Scriptura nec a pietate dissident.

Omnibus enumeratis quæ in Ordinatione ipsi accipi posse videntur [1], queritur allatas esse mutationes in modo catechizandi, baptismi et cœnæ administrandorum et celebrandorum matrimoniorum. Deplorat « mutationem formularum ab annis circiter XXVI usitatarum », et hæc denique adjicit : « Cupimus formas nostras in ecclesiis nostris retineri. » De veste chorali et cantu latino nihil dicit, « propterea quod nobis a Celsitudinum Vestrarum legatis significatum est nos illis non gravatum iri. »

Præterea rejici cupit quædam verba quæ Montbelgardenses offensura sunt, « cujusmodi sunt preces vespertinæ, antiphonæ de tempore, confessio, altare, defunctos manui Dei commendare », ac « pro vespertinis precibus et antiphonis » reponi censet posse « concionem vespertinam ; pro confessione, repræsentationem seu examen ante cœnam, pro altari mensam cœnæ Domini ; pro defunctos manui Dei commendare, defunctos manui Dei relinquere, etc. » [2].

(1) « Nam quantum attinet ad vocationem, constitutionem, officium et vitam Pastorum, aliorumve servorum Ecclesiæ, Censuram Ecclesiasticam, Superintendentica, visitationem generalem, synodos, consistorium, causas matrimoniales, scholarum institutiones, pauperum et xenodochiorum curam, visitationem et communionem ægrotorum, funerum curationem, cantum gallicum ante et post concionem, cœnam Domini certis diebus celebrandam, representationem seu examen ante cœnam, excommunicationem, pœnitentiam publicam et privatam absolutionem, festos dies, conciones et præces in eisdem diebus habendas : hæc omnia in Ordinatione Ecclesiastica Vestra contenta recipimus.... »

(2) Montbelgardi, XXV Junii 1560. Archiv. nat. K. 2179.

Nom tam facile a duce Christophoro quam ab Ulrico Tossani vota recipi debebant.

Renitentibus Montbelgardensibus, Principes tutores statuerunt ipsi Montbelgardum pergere, quo melius rerum statum cognoscerent. Sed, aliis negotiis obstantibus, non nisi mense Septembri anni 1562 hoc iter conficere valuerunt (1). Per hoc autem tempus Tossani liturgia non destiterat in usu esse.

Quum Montbelgardum pervenissent, Principes primùm nihil nisi observandam Ordinationem poposcerunt.

Ministri vero planius sibi explanari cupierunt quod de Cœna dictum erat; quod ad cærimonias attinet, se tantum baptismum ab obstetricibus datum omnino repudiare professi sunt. Principes contra Ordinationem sine ulla restrictione accipi volebant. Quum autem intellexissent a se Ministros flecti non posse, hæc tandem concesserunt : ministri conventioni inter Lutherum et Bucerum anno 1536 factæ subscribere debebant; quo facto, ordinatio quod attineret ad vestem choralem, ad latinum cantum, ad dies festos sanctorum abrogabatur.

Principes admittebant explanandam esse sententiam Confessionis Augustanæ de Sacrâ Cœnâ (quæ quidem sententia quum forma Lutherum oleret, ad Calvini tamen sensum expositione reduci poterat). Denique principes baptismum ab obstetricibus factum silentio præteribant et, ut breviter dicam, usum liturgicarum formularum permittebant quas inprimis conservari Tossanus voluerat.

Lutherani igitur Theologi victoriam tantummodo truncam et dimidiam Montbelgardi retulerant, Tossanique liturgia semper vigebat. Sed Calvini doctrinarum sectatores brevi Wirtembergensibus theologis novam obtulerunt occasionem sese in negotia Montbelgardensis Ecclesiæ immiscendi.

Minister Andreas Floretus anno 1570 Montbelgardi electus erat : qui quidem ut ingeniosus et eloquens, ita mediocriter in theologica scientia versatus erat, nec non temulento et inquieto erat animo. Sapientis tamen Tossani consiliis fultus, magnam auctoritatem apud Montbelgardenses assecu'us est.

(1) Archiv. nat. K. 1793.

Eodem anno 1570, Superintendentis filius D. Tossanus, quum, e Gallia profugus ubi in nostros sæviebant, Aurelianensi urbe Montbelgardum venisset, proprio patri adjuvando in ministerio adjunctus est (1).

Paulo post (a. 1572) Montbelgardum venerat Doctor Henricus Efferhenus simul cum Petro Tossano Superintendentis munia exercitурus : qui quidem jam a principio sese intolerabilem et intolerandum nec non valde imperitum ostendit; brevique inter eum et Calvini doctrinarum sectatores exarsit contentio (2).

Ad istiusmodi certamina compescenda, Principes Montbelgardum miserunt Doctorem Jacobum Andreæ et Christophorum Binderum; nec multo post Petrus Tossanus superintendens emeritus declarabatur, munusque ejus Henrico Efferheno committebatur; Daniel autem Tossanus e regione cogebatur abire.

Attamen Ordinatio anni 1559 nihilhominus discordiæ causa permanserat. De quâ Ordinatione iterum jussi sunt ministri sententiam suam aperire, et inter eos ipse Tossanus, cui, quamvis emerito, jus concionandi relictum erat.

Tossanus quidem ampla dissertatione (3) respondit se in Ordinatione ea omnia accipere quæ ad doctrinam attinerent. Summa autem contentione cærimoniarum libertatem vindicabat et ecclesiis proprias consuetudines et ritus relinquendos esse profitebatur. Principes vero orabat ne « propter dissimilitudinem cæremoniarum », ecclesias perturbarent.

Illi responderunt mirando isto syllogismo : « Quod Wirtembergensis familia Ecclesias ea ordinatione non perturbat sed potius ædificat ». Quando eam decenter et secundum ordinem instituit in Ecclesia, tunc illa non perturbabatur, sed potius ædificatur. Sed Wirtembergensis familia ordinatione ecclesiastica omnia sic instituit in Ecclesia ut nihil non fiat decenter et juxta ordinem. Ergo hæc ordinatio non perturbat sed potius ædificat Ecclesiam.

Ministri plerique se unà cum Tossano sentire affirmaverunt; non-

(1) Archiv. nation., K. 2186.

(2) Ibidem, K. 2179.

(3) Vide Supplementum, n° IV.

nulli tamen ab illo jam discesserant et inter eos pastor Hericuriensis Arquerius et minister Bavanensis Gedeon Cucuellus: qui quidem sentiebat nimiam erga venerandum superintendentem ostendi patientiam a Principibus (1).

Patientiæ vero tempus jam præterfluxerat. Brevi enim statuerunt Principes ministros de ipso dogmate interrogandos, ita ut e regione expellerentur omnes, qui sententiam D. Tossani et Floreti profiterentur. Certamen igitur magis in dies exarsit et ipsam infecit cathedram.

Tum Principes existimaverunt necesse esse Montbelgardum novos mitti legatos : qui quidem, scilicet Jacobus Andreæ et Balthazar Bidembachius, Montbelgardum mense Januario anni 1573 pervenerunt.

Hi a ministris poposcerunt ut sine ulla explanatione aut interpretatione formulæ concordiæ anni 1536 subscriberent (2). Ordinatio vero anni 1559 in toto tenore, nulla admissa exceptione, observanda erat.

Ut supra vidimus, in celebratione Cœnæ minister secundum Tossani liturgiam communicaturo dicebat : *La foy que tu as au corps de Jesu-Christ, crucifié pour tes péchez, te sauve ! — La foy que tu as au sang de Jesu-Christ, respandu pour tes pechez, te donne vie éternelle.* Legati jusserunt his formulis substitui ipsa verba institutionis cœnæ.

Præterea, ut hæc jussa pro certo haberent strictè observari, synodum vel ecclesiasticum concilium instituerunt, quod quidem quaque hebdomade semel convocari debebat ut commodis Ecclesiæ consuleret.

Hic nobis ponendus finis historiæ Ordinationis. Ab anno enim 1573 devictus omnino Tossanus: cujus liturgiæ locum obtinet tandem Ordinatio anni 1559.

Non quidem contentioni inter Reformatos et Lutheranos omnino jam finem facit horum victoria; attamen in controversia jam

(1) Vide Supplementum n° V.

(2) Archiv. nation., K. 2177.

non de liturgia sed præsertim de dogmate agitur. Ceterum in dies decrescit et attenuatur studium certantium; paulatimque pastores extranei, e Gallia aut Helvetia advecti, locum cedunt juvenibus, qui Tubingæ studuerunt ideoque ultro sese Ordinationi accommodant.

Tossanus ipse mense Octobri anni 1573 vita decesserat, fractus ætate et laboribus, nec non omnis generis crucibus confectus.

Sequente anno, mense Junio anni 1574, theologi Jacobus Grynæus, Simon Sulzerus et Balthazar Bidembachius rursus a Principibus tutoribus missi sunt, qui ecclesias nostras visitarent et viderent utrum ubique observaretur Ordinatio necne.

Quorum quidem inspectionis relationes etiamnunc habemus, e quibus constat Ordinationem anni 1559 jam ecclesiarum nostrarum factam esse solitam liturgiam. Anno 1577, ministri nostri Formulæ Concordiæ (vel potius Bergico libro) subscribere coacti sunt, et ex articulis qui Montbelgardi cuique ministro ineunti ministerium recipiendi erant, videre est nostras ecclesiasticas auctoritates summa cura cavisse ne quis error aut in docendo aut in cultu admitteretur (1).

Implevimus nunc quod nobis proposueramus inceptum. Ordinatio ecclesiastica primum a Schnepffio anno 1536 conscripta, deinde a Brentio ita aucta et dilata ut ex ea evaderet *Ordinatio ecclesiastica magna* anni 1559, omnino in Montbelgardenses ecclesias jam ab anno 1573 introducta, amplissimum præstitit fontem unde hausimus magna ex parte etiamnunc usitatam liturgiam. Nobis igitur concludere licet hâc affirmatione, scilicet hanc Ordinationem inprimis haberi debere fundamentum revidendæ et reformandæ liturgiæ, quod quidem opus nos omnibus votis effici cupimus.

(1) Vide Supplementum n° VI.

SUPPLEMENTUM N° I

P. Tossanus et Gerardus Gilminus Illlustrissimis Principibus Tutoribus

DE MISSA

. . . .

Quod autem ad Sacramenta Ecclesiæ attinet : quanquam pro tempore quo sumus hactenus Hericuriæ concionati, nobis nondum licuit populum ea in re ex professo instituere (quod poshac juvante Christo sumus facturi) tamen quoniam nonnulli erant qui populo mussitabant nos corporis et sanguinis Christi sacramentum rejicere, et petebant aliquid de Missa sentiremus : Respondimus nullum aliud esse corporis et sanguinis Christi sacramentum, quàm cœnam Domini, ubi servatur institutio Christi, mors ejus lingua intelligibili annuntiatur, et sacramentum sub utraque specie Ecclesiæ distribuitur : Cum autem hæc in Missa non fiant : et in ea etiam contra verbum et glorium Dei (qui solus non in Imagine ulla, sed in spiritu et veritate adorari vult) sacrificorum hostiæ (quas vocant) adorentur : et hanc adorationem confundantur omnes qui adorant sculptilia. Nec quicquam est, quod Dominus Deus per Verbum suum tam detestetur, quam cultum simulachrorum. Ut videre est Esa. 40. Hieremiæ 20. Baruch 6. Sapientiæ 14 et 15 et alibi passim in lege et Prophetis. Item in Novo Testamento 2 Cor. 10. Ne sitis, inquit apostolus, simulachrorum cultores. Idem ibidem, Fugite ab simulachrorum cultu. Et 2 Jo. 5. Filioli cavete vobis a simulachris. Et videmus etiam veteres doctores Ecclesiæ Athanasium, Lactantium, Cyprianum, Ambrosium, Augustinum, multa adversus hujusmodi simulachrorum cultum, utpote gloriæ Dei et animarum saluti adversantem, scribere. Nec habuisse fideles Ecclesiæ primitivam ullam imaginem in templis annis plusquam

quadringentis quinquaginta a nato Christo. Cumque postea pingi aut erigi cœpissent in Ecclesia, per vigilantes pastores et pios Principes non semel deturbatas esse, sed cum temporis successu (ut historiæ docent) Ecclesiæ pastores facti sunt canes muti et, relicta prædicatione Verbi Dei, volucrum picturas et imagines libros esse laicorum, irrepsit paulatim in Ecclesiam hic Imaginum cultus, et aliæ superstitiones multæ : quæ cum tempore in immensum sic creverunt, locumque per universum orbem Christianum obtinuerunt, ut profligato vero et antiquo cultu Dei, Idololatriæ istæ et superstitiones pro vera et antiqua Religione habita sint, et adhuc multis in locis apud imperitos veræ Religionis habeantur.

DE IMAGINIBUS

Deinde, cum videremus etiam Hericurienses in Imaginum cultu graviter peccare, illis procumbere, cereos accendere : ut eos ab hac superstitione et idololatriâ detesdanda revocaremus, declaravimus eis quid ea de re dicat Dominus Deus. Dicit enim Exodi 20 : Non facies tibi sculptile neque omnem similitudinem eorum quæ in cœlo sunt desuper, et in terra deorsum, nec eorum quæ sunt in aquis sub terra. Item Deut. 4. Cavete igitur animas vestras, quoniam non vidistis ullam similitudinem in die quo loquutus sum vobis de medio ignis, ne decepti faciatis vobis ullam imaginem. Et Deut. 27. Maledictus qui faciet sibi sculptile aut conflatile (abominationem Domini opus manuum artificum), ponetque illud in abscondito : et respondebit omnis populus Amen. Item psalm. 96. prorsus ignoraverit Ecclesia vetus : ut non solum ex historiis, sed etiam ex Jure canonico lib. 3. Decretalium, titulo de celebratione Missarum, videre est : et isti quoque, contra passionis et mortis Christi meritum, missam illam suam vivis et mortuis vendant et obtrudant pro remissione peccatorum, eaque ad infinitos aliosque abusus abutantur, diximus nos missam istam haudquaquam approbare : sed cupere ut ea per universum orbem abrogata, pro gloria Dei, et Ecclesiæ ædificatione, in integrum restituatur verum sacramentum corporis et sanguinis Christi, hoc est, cœna Domini, ut est a Christo instituta, multisque seculis ab eo passo in Ecclesia pri-

mitiva observata. Quemadmodum etiam consulit Divus Cyprianus ad Pompeium scribens, ut si in aliquo, inquit, mutaverit veritas, ad originem Dominicam et Evangelicam, et Apostolicam traditionem revertamur.

12 déc. 1561. (Archives de la Haute-Saône, E. 275).

SUPPLEMENTUM N° II

TOSSANUS CLARISSIMO VIRO D. JOANNI BRENTIO

Colendissime vir,

Sum tibi, fateor, frequentioribus litteris molestus, sed quum te rerum nostrarum omnium certiorem fieri cupiam, paucis te adhuc interpellabo. Intellexisti, puto, Theodorum Bezam ante menses aliquot Lausanna, ubi litteras sacras profitebatur, a Bernatibus esse dimissum ac Genevam profectum. Causam audio fuisse illius doctrinam, præsertim autem de prædestinatione a qua Bernates vehementer abhorrent, ut qua videant ecclesias suas Gallicanas nullo cum fructu, sed magno multorum dispendio sine fine turbari. Interea autem, hoc est mense superiore, accidit ut Viretus et cæteri ejusdem ecclesiæ Lausannensis ministri et alii multi ex ditione Gallicana Bernatum, quam Sabaudiam vocant, eadem de causa quodque ecclesias suas Genevensi conformare vellent nec cœnam Domini, ut antea consuetum erat, in die Natalis Christi populo administrare voluissent, omnes ministerio privati sint et evecti, adeo ut magni sint hodie motus per ecclesias illas. Audioque Bernates in hoc esse, ut una cum ministris ditionibus suis omnes peregrinos Gallos pellant, qui cum Calvino de prædestinatione sentiunt, hoc est, qui negant promissiones Dei esse universales et Deum velle omnes homines salvos fieri etc *(sic)*. Ex quibus evectis aut ejiciendis nonnulli criminum in hanc ditionem confugient et cum aliis quibusdam hic eadem labe infectis perturbabunt hanc ecclesiam nisi magistratus vigilantia prospiciatur. Adhuc est in aula principis Hessorum Gallus quidam, Joannes Garnerius nomine, qui ante ali-

quot annos excitatis multis turbis Argentorati, ubi ecclesiæ Gallicanæ concionatorem agebat, a magistratu tandem in vincula conjectus, ministerioque privatus ac urbe pulsus fuit. Is cuperet hic sibi dari provintiam aliquam ecclesiasticam et possent fortasse illustrissimi Principes nostri tutores credere a Hesso appellari, sed non puto hujusmodi hominem introducendum esse in hanc ecclesiam.

Quæ ad te nuntium nactus raptim scripsi, ut ad hanc ecclesiam conservandam hoc turbulensissimo seculo nos apud eosdem illustrissimos principes nostros tuo consilio et authoritate adjuvare pergas.

Optime vale cum Domino et fratre meo Angelandro.

Monbeligardi, 10 martii,

Tuus ex animo

P. Tossanus.

Clarissimo viro D. Joanni Brentio suo domino et fratri venerando.

Stutgardiæ.

(Collection Duvernoy). Bibliothèque de Besançon.

SUPPLEMENTUM N° III

BRENTIUS CHRISTOPHORO DUCI

Durchleuchtiger hochgeborner furst und herr, die gnad des Allmechtigen durch Jesum Christum, sampt meinem underthenigen dienst und gebett zu vor. Gnediger furst und herr.

Was Tossanus mir auss Montbellgardt geschriben, hatt E. F. G. auss hiebey gelegn brieff gnediglich zu vernemen, darauss E. F. G. bericht entpfahen mag, nicht allein was noch für ein hadder sey de prædestinacione zwischen den Berner und Geneuer Theologen, sonder auch was hieruff in der Montbelgardischen Graffschafft, und der selben Kyrchen sich für unruw Zutragen mocht. Were demnacht mein underthenig bedencken das dennocht solche sach in den windt nicht aller ding zu schlahen sey. Und diveill auch auss-

geben wurdt, es wollen sich allerley ungereumpte lehr in der selbenrifier zu tragen, so sollt es freilich nicht on frucht abgehn, das meiner Gnedigen fürsten und Herrn Tutores, yetlicher ein Theologen gen Montbelgardt schickte, welche beid samtlich, neben einen oder mehr Montbelgartischen Hoffradt, alle Ministros ecclesiæ der selben Herschafft beschickten, und de dogmatibus inquiriereten auch was sie also befinden, widerumb an beyd meiner gnedigen fr. und herrn Tutores gelangen lassen; ob hiedurch der Almechtig gnad verleyhen wollt, das der unruwe gesteuret werde. Das hab E. F. G. Ich in underthenigkeit nicht unangezeigt sollen und wollen lassen. E. F. G. mich hiemit undertheniglich bevelhendt. Datum Studtgardt den 25 martii anno 1559.

E. F. G.
Undertheniger und gehorsamer
Probst zu Studtgardt
IOHAN BRENTZ.

Notula alicujus scribæ et notarii

Stuttgartener Brobst schickt ein schreiben vom Tussani.

Ettlicher ungereimbter leer halb so sich in der Kirchen der Graueschafft Mumpelgart einreissen wellen.

Alia manu :

Sambt zwey Copyen Vormündlichen Schreiben obige Sachen betreffend.

Alia manu :

P[resen] tata wildtb [ad] : 29 martii 1559.

Epistolæ inscriptio :

Dem durchleuchtigen hochgebornen fürsten und herrn, herrn Christoff, Hertzog zu Wirtemberg und Theck, graue zu Mümpelgardt, etc., Meinem gnedigen furst und herrn.

(Ex Bibliothecâ auctoris).

SUPPLEMENTUM N° IV

Generosiss. et Clarissimis Dominis D. Gubernatori Cancellario, et ceteris serenissimi Principis nostri Consiliariis, Dominis meis Observandissimis.

Clarissimi et observandissimi Domini, quantum ad doctrinam attinet, quæ hic a renato Evangelio prædicata est, cum nemo fuerit hactenus, laus sit Domino Deo, sive ex Principibus nostris, sive ex eorum legatis et theologis huc missis, sive ex consiliariis, sive ex populo, aut aliis æquis auditoribus nostris, qui de ea sit conquestus: et statuerimus adjuvante Domino Deo, in hac Ecclesia ut semper antehac, in puritate verbi Dei et confessionis augustanæ permanere: atque etiam in concordia facta inter D. Lutherum et ministros superioris Germaniæ quæ anno 62 Serenissimis Principibus nostris, Principis nostri junioris Tutoribus hic agentibus, nobis ab eorum Theologis ad subscribendum proposita est, supervacaneum esset nunc multis de doctrina nostra scribere.

Sed quantum ad Ordinationem Ecclesiastciam spectat, de qua jussistis me sententiam meam ad vos scribere: Ego clarissime D. V. primùm intelligere velim, quod antehac sæpe declaravi, Ritus videlicet et formulas nostras, Catechizandi, Baptizandi, Cœnam Domini administrandi, Matrimoniis benedicendi, Præcumque, non à nobis harum Ecclesiarum Ministris institutas esse, sed ab his Theologis, qui, postquam essem in hac urbe aliquandiu concionatus, Illustrissimi Principis nostri D. Ducis Ulrici, piæ memoriæ jussu, huc ad has Ecclesias reformandas venerunt. Et quos quidem ritus et formulas nostras, tantum abest ut idem Serenissimus Princeps Duc Ulricus abrogari voluerit, ut anno 45 peculiari scripto D. Duci Christophoro felicis memoriæ mandaverit ut supradicti ritus et formulæ non solum hic in Ecclesia Gallicana sed etiam in Germanica servarentur. Nec ulla etiam interea facta est hic unquam ullius horum rituum mutationis mentio, donec Serenissimo Principe nostro D. Comite Georgio (beatæ memoriæ) mortuo, huc allata est ex Ducatu, anno 60, Ordinatio illa Ecclesiastica ut eam reciperemus. Quod cùm ex tempore facere bona conscientia non possemus, ut qui eam anteà nunquam vidissemus, trimestre nobis ab Serenissimis Principibus nostris Bipontino et Wirtembergensi benigne concessum est: ut interea non solum cum Dominis Gubernatore Consiliariis et primoribus hujus Urbis, sed etiam cum reverendis fratribus et Dominis nostris Argentinensibus et Basiliensibus Ministris

nobis vicinis, ea de re consultaremus et deliberaremus. Quorum omnium sententia et judicium sunt, ut eam quidem ordinationem reciperemus, sed cum ea exceptione quam in libello nostro supplice ad Principes declarabamus, hoc est, supradictis formulis nostris retentis, ut, quæ, à tam longo tempore in his Ecclesiis usitatæ, sine magno Ministerii contemptu et gravi subditorum et vicinorum offendiculo mutari non possent. Quo, supradictorum omnium tam politicorum quam Theologorum judicio a Principibus viso et perpenso, ipsi nos in nostris formulis sine ulla molestia per integrum biennium reliquerunt. Et quamvis biennio post, anno videlicet 62, cum ad novas Principis nostri junioris ditiones lustrandas supradicti Principes nostri Domini Tutores Theologis suis comitati huc venissent, facta fuerit a nonnullis ejusdem Ordinationis mentio aliqua, ut ea hic sine exceptione reciperetur: tamen cum de doctrina et eisdem formulis nostris sic respondissemus, ut et Principibus et Theologis satisfactum esset, Theologi nos fratres et collegas in Domino agnoverunt et Principes nobis, ut antea, formulas nostras benigne permiserunt. Et verum est quidem, quod ab eo tempore, quo Principes hic unà fuere Serenissimus Princeps noster D. Dux Christophorus, a nonnullis ex Ducatu sollicitatus, huc Dominis Consiliariis scripserit ut Ordinatio servaretur. Sed ad quod tamen Principis rescriptum cum respondissemus, nos eam ordinationem fideliter servare, ut nos servaturos receperamus, hoc est cum exceptione formularum nostrarum, tantum abest ut ob id pientissimus Princeps adversus nos commotus fuerit aut nos Ministeriis nostris privaverit, aut mandaverit ut passim per has Ecclesias, consuetis formulis nostris abrogatis, Ordinatio illa Ecclesiastica sine ulla exceptione ab omnibus hic civibus et subditis reciperetur et servaretur, ut contrà idem optimus Princeps veræ pacis et ædificationis harum Ecclesiarum studiosus nos ad mortem usque in nostra rituum et formularum exceptione clementer et benigne reliquerit.

Quæ cum ita habeant, et jubeat apostolus omnia fieri in Ecclesia Dei ad ædificationem, non ad destructionem et Christus offendiculorum authoribus gravissime minetur : et Confessio Augustana : Et Principium protestantium recessus, et veteris Ecclesiæ

doctores (quemadmodum ex Augustino ad Cassulanum constat) mandent ne ob dissimilitudinem rituum turbentur Ecclesiæ, sed ut unaquæque in suis receptis et usitatis ritibus in pace relinquatur : Et D. Brentius præcipuus Theologus et Superintendens Ducatus Wirtembergensis adversus Sotum scribens dicat : Publicos ritus et ordinationes invitæ et repugnanti Ecclesiæ obtrudere, hoc est tyrannicum et detestandum : Et universa hæc Ecclesia propter offendicula à novis ritibusque recipiendis semper abhorruerit, et magis quàm unquam antea hodie abhorreat : bona conscientia consulere non possum ut ei Ordinatio illa Ecclesiastica aliter recipienda mandet quam hic hucusque recepta est, hoc est, cum ea exceptione in qua (ut supradictum est) Principes nostri omnes, sive naturales, sive tutores, nos hactenus clementer et benigne reliquerunt.

Quod autem D. Sulcerum spectat, ipse anno 60 et ceteri Ministri omnes, qui tum Basileæ cum eo erant, communi consensu declararunt se libellum nostrum supplicem ad Principes de supradictis formulis nostris in his Ecclesiis retinendis approbare : Et quam quidem declarationem, manu D. Sulceri scriptam, in manibus habeo, quæ sic habet: Supplicem hunc libellum, ut sano pientissimoque consilio scriptum, ego Simon Sulcerus meo et fratrum meorum symmistarum nomine approbo : præcorque Christum Jesum, ut per ipsius gratiæ interventum ab Serenissimis Principibus benigne accipiatur, quo scandala vitentur, et ædificetur Ecclesia. Quorum quidem Sulceri et Symmistarum ejus omnium judicio et sententia standum est potius quam nescio quibus literis a privato aliquo nescio quo modo extortis. Nec ullos etiam alios sive Argentinenses, sive aliarum Ecclesiarum Ministros unquam hactenus super ea re consuluimus, qui causam hanc nostram bene cognitam non approbarint. Et quam quidem causam nostram, si necessarium fuerit, Serenissimorum Principum protestantium, et Academiarum Germaniæ Confessionis Augustanæ cognitioni et judicio libenter submittemus. Sed cum hujus causæ apud alios tractatio nihil aliud adferre posset, quam nova dissidia et offendicula, non est meum consilium, ut eo deveniatur : aut quæ in his Ditionibus in rebus religionis nimis inconsiderate cœpta sunt : et unde per vicinas et

alias Ecclesias reformatas multi sunt gravissime offensi, continuentur in hac Ecclesia : Sed ea potius vestra prudentia et authoritate in pace retineatur. Quod et Domino Deo gratum et Principibus nostris et vobis fuerit honorificum : cum nihil aliud petamus quam ut in rebus religionis in eo statu relinquamur, in quo (ut jam sæpe dictum est) Illustrissimi Principes nostri omnes nos hactenus a renato hic Evangelio benigne reliquerunt.

Mombelgardi, 24 januarii 1572 a Nativitate Christi.

Clariss. D. V. deditissimus servus
P. Tossanus.

(Bibliothèque de Besançon. — Collection Duvernoy. *Montbéliard sous Frédéric*).

SUPPLEMENTUM N° V

MINISTER GEDEON CUCUELLUS FRATRI SUO

Au reste les affaires de l'Église se portent assez mal par deça parce que Tossain le vieil est trop supporté et notre Superintendant assez mal assisté et on procrastine par trop ce nous semble à nous qui avons signé et pour la plus part introduit l'ordonnance ecclesiastique et qui cognoissons les finesses tours et desmarches du vieil Tossain, qu'il seroit bon que on envoyast quelcung d'authorité du pays et de par dela pour assister et ayder à notre Superintendant, auquel, veu sa rondeur et preudhommye, il est tres aysé de satisfaire en paroles et promesses. Car nous sommes par trop marrys de ce que Tossain lequel est rebelle au prince, et lequel ha attiré à soy les bourgeois de Montbelyard et les induit journellement à se mutiner contre le prince, tout est supporté, luy et ceux qui n'ont point signé, lesquels sont encore en leurs places, et nous qui avons obey au prince et signé sommes hays foullés et mesprisez de tout le monde tanquam catharmata.

Je desireray fort si avez quelque accez au S[r] Docteur Jacobus Andreæ que luy declarissiez ce que je vous en escry : affin de l'in-

viter à avoir la matière à cœur car il y a bien grand danger que ne tombions avec notre Superintendant en confusion. Il seroit bon aussy de l'advertir que les Bourgeois de Montbelyard font courir le bruit que Monseigneur le jeune comte Frederich est de leur party et qu'ilz disent qu'il leur ha escript qu'ils tiennent bon et s'opposent à l'ordonnance Ecclesiastique.

J'ay grand peur qu'il n'y aye quelque garnement auprès de la personne du Prince qui soit dommageable à nostre cause assavoir un Jean de Chalon. S'il est vray, et il seroit bon que Monsieur le Docteur le fist sortir d'auprès de sa personne veu qu'il est Zwinglien et ecrivez-moy ce que vous aurez faict et sa response et *vous savez que Dieu aydant je vous procureray quelque bon lieu.* Data re IIº de febvrier 1572

Vostre frère
GEDEON CUCUEL, Ministre à Bavan.

(*Montb. sous Frédéric,* tom. II).

SUPPLEMENTUM Nº VI

Les articles qu'on proposera au Ministre lequel on voudra recepvoir en l'Eglise de ce lieu (1).

1.

Qu'il se tienne en enseignant aux escripts des Prophètes et apostres et en l'administration des sacremens à l'institution de J.-C.

2.

Qu'il use des manières de parler, desquelles la Confession d'Augsbourg, l'apologie d'icelle et le livre de Concorde usent contre les papistes et autres sectaires notamment contre les Cingliens et Calvinistes. Et ce afin qu'un chacun puisse cognoistre en ces points qui sont en controverse qu'elle est l'affirmative, laquelle on recevra, et qu'elle est la négative qu'on doit fuyr et par ainsy vrayment entendre en quoy gist et consiste le neud de la controverse et combien on est éloigné l'un de l'autre.

(1) Scilicet Ecclesia gallicana Montbelgardensis.

3.

Qu'il n'introduise aucune nouveauté et se conforme en ses exhortations et prières aux Ordonnances ecclésiastiques. Si ce n'est la necessité le requerant qu'ès afflictions communes le Superintendant luy en prescrive et aux autres une forme particulière de laquelle il usera.

4.

Qu'il ne s'adjoindra aucunement soit occultement ou ouvertement avec les ennemis de la vérité, soit qu'ils soyent ecclesiastiques ou politiques, papistes ou Cingliens, quand il sera question des affaires de la religion ou de la police.

5.

Finalement qu'il se demonstrera de tout nos pouvoir diligent fidèle et obéissant tant envers notre tres illustre Seigneur et Prince qu'envers Messieurs du Conseil et le Superintendant.

Frédéric, Comte de Wirtemberg.

Actum 23 febv. 1588.

(Duvernoy, *Montb. sous Frédéric,* tom. II).

Vidi : *Publicæ disputationis Præses,*
E. Vaucher.

Vidi : *Fac. theol. ev. Paris. Decanus,*
A. Sabatier.

Typis mandetur :
Academiæ Parisiensis Rector,
Gréard.

INDEX